

PRAEFATIO MARTINI
LUTHERI

RESPON-
SIO PHILIPPI MELAN-
 thonis ad scriptum quorundam
 delectorum à Clero Secundae
 rio Coloniae Agrip-
 pinae.

CVM PRAEFATIONE
D. MARTINI
LVTHERI.

VVITTEMBERGAE.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. Some words are difficult to decipher but appear to be Latin.]

[Small, faint text at the bottom of the page, possibly a publisher's mark or date.]

PRAEFATIO MARTINI
LVTHERI.



VSTVS ES
Domine & res-
ctum iudiciū
tuum. Postq̄
Papatus reple-
uerat cœlū &
terram mini-
stris infinitis
idolatriarum,
& abominationum contra fidem &
bonos mores, deinde & (quæ merces
est omnium idolatriarum) fornicatio-
nibus & immunditijs omnium generum
& specierum, ita ut apud uerecundas
aures & mentes, non liceat eas nomi-
nare, quas nihil puduit eos facere, ma-
xime in ipsa Curia Sanctiss, Papæ re-
uerendissimorum Cardinalium, & lu-
stris Canonorum, tamen in eam per-
uersitatem cordis traditi sunt, ut non
modo nō dolerent aut poeniterent de
suis tot & tantis malis, sed etiam ride-
rent & delectarentur, seu, ut Salomo
dicit,

dicit, Lætarentur cum malefecissent,
& exultarent in rebus pessimis.

Memini enim ante plus minus tri-
ginta annos, cum Iulius secundus re-
liquisset Leoni x. inchoatum Conciliū
Lateranense, quo iam tum tempore
mos erat, si mos uocari potest tam eui-
dens furor sacris, ut poetæ clarissimis
uerbis utar, ædibus & altaribus profi-
cere Ganymedas, paratam tum Bul-
lam fuisse, qua caueretur, ne Cardinali
plus liceret alere quàm quinq; Catami-
tos. Et exitura erat in orbem Chris-
tianum, ea sanctissima Bulla istis pul-
chris scilicet figuris, morum & doctri-
narum ornata, nisi Leo decimus eum
locum expunxisset. Reliquit tamē, ne
omnia expungeret, illud suauissimum
decretum, scilicet, Deinceps credendū
uel saltem docendum esse, quod ani-
ma humana sit immortalis. Hoc decre-
to consultum, non sibi, sed miseræ
Ecclesiæ Dei uoluerunt. Nam neq;
Leo ipse, neq; Curia id ipsum credidit,
Et adhuc hodie non credunt, Sed pro-
fatuis habent eos, qui credunt & con-
fitentur. A ¶ Iacta

Iactabatur enim historia de ipſo
Leone. Quod ubi eum ſatietas homi-
num aut negotiorum (id eſt exquisitis
ſumarum uoluptatum) odium ceperat,
duos Gnathones, ſeu Moriones ad
coenam ſibi aſtare iuſſerit, quos animi
gratia audiret de immortalitate anime
diſputantes, alterum qui affirmaret,
alterum qui impugnaret. Cumq; illi fi-
nita diſputatione, queſtionem reſce-
rent in arbitrium Pontificis, ſanctiſſi-
mus ſcilicet ille & Apoſtolicus uir, ple-
nus ſpiritu ſic controuerſiam definita
ſententia diremit: Et ſi tu (inquit ad
affirmantem) pulchras & bonas habes
rationes, tamen ego ſententiam huius
probo, Quia facit bonum uultum. Hic
uide, qui mores, quæ fides publice in
urbe ualuerit. De quibus pœnitue-
runt interim, ut cernere dignum eſt,
more caneroti, Iuſtus es Domine, &
rectum iudicium tuum. Nec tamen in
his omnibus auerſus eſt furor eius, ſed
adhuc manus eius extenta, ut Eſaias
dicit.

Vbi iam feſſus orbis Chriſtianus
audis.

audiendo, uidendo, ferendo, iſta hor-
renda exempla furiarum infernalium,
generet alto corde & ſuſpiraret ſaltē
aliquantulam Eccleſiæ reformationem
uidelicet in craſſioribus turpitudini-
bus, actū eſt per optimū Cæſarem Ca-
rolum quintum, & Principes imperij,
ut Papa indiceret Concilium, actum
eſt autem iam per uiginti & amplius
annos, Deus bone, quantis hic & quam
non dicendis technis, artibus, dolis,
mendacijs, Sanctiſſimi & reuerendiſſi,
uiri diſtulerunt, deluſerunt, imo illuſe-
runt optimi Cæſaris pium zelum, &
omnium populorum expectationem.
Ne ſcilicet Lernas, Camarinas & Sodo-
mas eorum impudentiſſimas & impu-
riſſimas ulla reformatio moueret aus-
tangeret. Iuſtus es Domine, & rectum
iudicium tuum. In omnibus his nō eſt
auerſus furor eius, ſed adhuc manus
eius extenta.

Igitur Cæſaris zelo ſemper ita fru-
ſtrato & irritato, uerſi ſunt ipſi ad zelum
ſuum, ſeſe & ſuis ſanctiſſis, ſanctitatibus
digniſſimū, ſecundum illud Pſal. xiiij.

A iij Veloces

Veloces pedes eorū ad effundendum sanguinem. Innumeros enim uiros & mulieres innocentissimos, ui, ferro, flamma, flumine, & omni genere crudelitatis, occiderunt, id est, obsequium Deo præstiterunt, propter nullam causam, nisi quod manifesta ueritate conuicti, nolent hiscere quenq̄ contra sua ista portenta, quæ iam ipse sol ægerissime dignatur ultra uidere. Et horum magna pars occisa est, & occiditur, quod coniugium, Dei scilicet creatio nem, honorarint. Ipsi uero, licet inter sacramenta numerent (fictis uerbis) reuera tamen immunditiam apertis uerbis blasphemant, dicentes; mundamini qui fertis uasa Domini. Ideo iusto iudicio Dei ipsi facti sunt in poenā damnati ab eis coniugij, mundissimi, purissimi, sanctissimi scortatores, adulteri, μαλακοι (reliquas munditias cogit taceret pudor) Hoc uoluerunt, macie nota uirtute uiri, sic itur ad orcum, Durate & uosmet rebus seruate nephandis. In his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extēta.


Post

Post illa omnia, ubi uixerunt, fecerunt, occiderunt, & pro omni libidine sua satanz seruierunt, addunt hanc gloriosam catastrophē uirtutum suarū, ut libellis blasphemis & malediciis, impleant mundū. Non q̄ putent sese bonæ causæ patrocinari, sed certissima conscientia obruti, sciant sese agnitam ueritatem & spiritum sanctum impugnare, & uolūtariē diabolū adorare. Qualis est autor huius Coloniensis libri N. & sui similes. In qua re nobis Christianis præbent nō iniucundos ludos. (Non enim sunt homines, quos miserari possis, sed diaboli incarnati, quos habitator cœli irridet Psal. ij.) dum ita torquentur, ita anxiātur, seu ut Esaias dicit, Contritio & infœlicitas in uis eorum, ut stabiliant sua idola, quæ stabiliri non posse uident, procedit inuitis ipsis aurora, & inclarescit dies inuisa illis. Inde fit, id quod Psalms dicit, Peccator uidebit & irascetur, dentibus suis fremit & tabescit, desiderium impiorū peribit. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Hac

Hac consolatione nos animati ita
formidamus formidabile illarum mu-
scarum rostrum, & turgentissimas Bul-
las, ut (quandoquidem ita uolunt) nihil
magis optemus, quam ut tales sint scri-
ptores, tales scribant libros, tales defen-
dant causas, tales uiuant ipsi uitas, tales
moriantur mortes. Eant ergo, uiuant
ergo, faciant ergo, patiantur ergo ea
semper & in aeternū. quæ meretur eo-
rū sanctissima sanctitas, quæ decent eo-
rū sapientissimam sapientiā, quæ con-
ueniunt eorū dignissime dignitati, uel
Apostolicæ uel Angelicæ maiori.
Sanguis eorum sit super caput eorum,
nunc, & semper, & in secula seculorum
Amen. Nos mundi sumus à sanguine
ipsorum, locuti, testati, uociferati, acti
& passi sumus omnia, ut Babylonem
istam curaremus, sed curari neq; uult,
neq; potest. Derelinquamus eam, ut
habitent in ea Onocrotali, Pilosi, Saty-
ri, Vicelij, Eccij, Rotzleffelij, Fabri, di-
gni hospites tali domo, & opertulum
patella. Iustus es Domine, &
rectum iudicium
tuum.

RESPONSIO PHILIPPI
Melanthonis ad scriptum quorundam
delectorum à Clero Secundo
Coloniæ Agrippinæ.

ON dubito & inter ciues
Coloniæ Agrippinæ, & in
Academia, imo & in Clero,
ut uocant, multos prudentes
& graues uiros esse, qui uel scurrilitatē
sermonis in libro nuper istic aduersus
Bucerum edito detestentur, uel etiam
res desiderent meliores. Ac profecto
deciuit eos, qui ad tantam causam agen-
dam à duobus præcipuis ordinibus de-
lecti fuerunt, non tam suæ petulantia
morem gerere, quam seruire & causæ
grauitati, & ordinum dignitati, præfer-
tim cum & sciant Principem honestis-
sima cura adfici recte cōstituendarum
Ecclesiarum, & Bucertum meminerint
offerre se ad explorationem *ἢ δονιμα-
σιν* iuxta Ecclesiasticam consuetudi-
nem. Quid opus erat petulantia, cum
moderatione certare, & insuper adde-
re spurciciem sermonis, excerptis ex
B Plauti

Plauti comœdijs obscœnis uerbis?
Quorsum attinebat tantũ conuiciorũ
quantũ non una nauis uehat, ut ille for-
tis uir apud Homerũ inquit, dicere ad-
uersus doctrinam ueram, aduersus tot
Ecclesias Dei, quæ certe Deũ fiducia fi-
lij Dei inuocant, aduersus respub. quæ
præbêt hospitium Ecclesijs. Hæc πᾶσι γὰρ
displicere multis grauib. uiris nõ dubiũ
est. Quare cum decreuissem pauca cõ-
monefaciendũ lectoris causa responde-
re, initio præfandum esse duxi, me tan-
tum litigare cum autoribus illius insul-
si & maledici scripti, nec uelle quidquã
detractum de urbis celeberrimæ splen-
dore, de dignitate Academiæ & uiro-
rum honorũ in clero. Nam ut de urbe
& de collegijs Ecclesiarum nihil dicam,
certe Academijs omnes propter do-
ctrinarum uarietatem ueneror, & Co-
loniensem peculiariter colui, quod in-
genij mei culturam quantulacunq; est,
ipsi aliqua ex parte debeo. Audiui e-
nim adolescens duos uiros præclare
eruditos, Georgium Simler, & Cunra-
dum Heluetium, alumnos Academiæ
Colonis

Coloniensis, quorum alter Latinos &
Græcos poetas mihi primum inter-
pretatus est, deduxit etiam ad philoso-
phiam puriorem, sæpe conferens Ari-
stotelicam lectionem, quæ tunc erat in
manibus ad Græcos fontes, alter Cun-
radus doctissimĩ & honestissimĩ uiri
D. Casarij auditor, primum nobis
Heidelbergæ elementa doctrinæ de
motibus cœlestibus tradidit: quam ob
causam & D. Casario peculiarem gra-
tiam & uenerationem tanquam præ-
ceptorĩ, debere me profiteor. Postea
cum multis eius Academiæ alumnis
fœdera amicitie sancta & perpetua fu-
erunt, cum Buschio, cum Petro Mosel-
lano, cum Metzlero. Sed longum esset
omnes enumerare. Magnopere igitur
bonos omnes in Academia oro, primũ
ne me existiment cum Academia rixa-
ri: deinde, ut ueniam mihi dent, q̄ non,
ut multorum iniurias, ita & hæc con-
uicia paucorum dissimulo. Dicam ue-
re quod res est: Facile erat contemne-
re cætera, memini illud Attici ciuis, qui
cum ei in foro & populi concione quis-
piam diu conuicia multa dixisset, &
B ij disceden-

discedentem omnibus probris onerasset, prorsus nihil respondit, sed tandem abiens, quia iam tenebrae noctis intendebantur, iussit ministrum suum ad illum transire, eique cum face praere domum redituro. Sed autor libri, quisquis est, in peroratione ait, nostros dicere blasphemias aduersus Spiritum S. Hanc tam diram criminationem praeterire impietas esset. Multa Eccius, Pygius & alij multi rabiose scripserunt: sed nescio an quisquam hac uerborum atrocitate uti ausus sit. Respondeo igitur nos uere & ex animo cupere illustrare gloriam Dei & filij eius domini nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti doctrinam uere & pure sonare, & Ecclesiae salutem consulere, ut uere inuocet aeternum Deum patrem liberatoris nostri Iesu Christi, fiducia mediatoris, & petat regi omnes inuocantes Spiritu sancto. Ut igitur mandato diuino obtemperemus, & hanc inuocationem in Ecclesia pure sonemus, necesse est idola & uiciosos cultus taxari. Et non dubitamus Deo & uerae Ecclesiae nostrum

strum studium probari. Regulam etiam sequimur certam doctrinae, scripta Prophetarum & Apostolorum, symbola, Apostolicum, Nicenum, & Athanasij, sententias synodorum ueterum, quae probantur Nicenae, Byzantinae, Ephesinae, Chalcedonensis, & similia purioris Ecclesiae uetustae testimonia. Nec dubitamus hoc genus doctrinae, quod profitentur Ecclesiae nostrae, uere esse consensum Ecclesiae Catholicae Christi, quem & tuemur, & Deo iurante semper fideliter tuebimur aduersus omnis generis furores Epicureos, Iudaicos, Ethnicos, Mahometicos, haereticos, & quicumque idola defendunt. Nec ignoramus uerae Ecclesiae haec certamina subeunda esse, etiam si has rixas, humana iudicia ualde uituperant. Sentimus enim Euangelium non esse commenticium, sed ueram Dei aeterni uocem. Dissentimus ab Epicureis, qui putant confictas esse omnes religiones, ut initio ad pacem & ciuilia officia inuitari palabunda multitudo posset, & semper praesentem formam qualiscumque

B ij cuncq;

cunq; est, tuendam esse, ne harmonia
politici status conturbetur. Respondi
quantum nunc quidem uidebatur, ad
conuicium omnium atrocissimum.
Nec mihi quisquam tam est amicus toto
orbe terrarum, quem non ducam esse
refutandum, si audiam hoc eum con-
uicio genus doctrinae quod sonat in
Ecclesiis nostris damnare. Cohercere
sapientes gubernatores hanc tantam
petulantiam deberent, ne he uoces pu-
blicas cladibus luendae essent. Deinde
quae vnquam spes esse concordiae pote-
rit, dum conceditur malis ita debaccha-
ri in nostros. Ad hanc breuissimam de-
fensionem pauca addam, Magnopere
oro lectorem, ut diligenter consideret,
in quid utriusq; parte reuera agatur, qua
de re vtrinque pugnetur. Scio multos
Epicureos vel ridere, vel detestari,
vtranque partem. Sed ad horum scho-
lam he controuersiae non sunt referen-
dae. Boni qui non contemnunt Euan-
gelium, confiderent & Ecclesiam
& quid in vtraque parte agatur. Ant-
tequam haec causa mota est magna
ubiq;

ubiq; fuit caligo. Humanis ceremonijs
monasteria, templa, imo familiae omnes
ita fuerunt oppressae, vt Gerson & alij
multi hanc carnificinam conscientia-
rum deplorauerint. Ethnico more in-
uocati sunt mortui: ad statuas concur-
sationes factae sunt. Doctrina poenit-
entiae fuit obruta spinis disputationum
in extricabilium de confessione, de sa-
tisfactione, de indulgentijs. Silentium
fuit de fide, qua accipienda est remissio
peccatorum. Haec ignoratio fidei, etiam
inuocationem corrumpebat. Nemo
recte discernebat legem diuinam &
humanas traditiones. De lege diuina
quam absurde fuerunt opiniones, cum
scripserunt homines posse legi Dei sa-
tisfacere. Coena domini magna ex par-
te ad mortuos translata est multis se-
culis & horribili idolomania contami-
nata. De uero usu Sacramentorum si-
lentium fuit. Conciones publicae multis
locis rarissimae fuerunt, alibi con-
sumptae sunt in fabulis de Georgio,
Christophoro, Catharina, & similibus,
aut in augendo questu monachorum.
B iij Iacebat

Iacebat doctrina de uera inuocatione,
de fidei exercitijs in quotidiana uita, de
dignitate uitæ politica. Si quis negat
talem fuisse Ecclesiarum statum, non
solum testimonijs optimorū uirorum
refutari potest, sed etiam libris mona-
chorum, qui adhuc extant, & perspicu-
um signum est. Nunquam tot senes &
graues uiri in Germania fauissent ini-
tjs renascentis doctrinæ purioris, nisi
iudicassent Ecclesiæ opus esse emenda-
tione. Fauebant autem omnes, qui nō
erant palam Epicurei. Quosdam me-
diocres deterruerunt postea exorti tu-
multus, ut solet diabolus excitare scan-
dala. Hanc nacti occasionem homines
prophani & monachi, metuentes suo
questui inflammarunt principum anis-
mos ad exercendam seuitiam. Nos qui
interim magno cum labore & magno
periculo in Ecclesijs & Scholis doctri-
nam puriorē tradimus, quid agimus?
Num opes aut potentiam quarimus?
Res ipsa nos purgat, multi enim docti
& boni uiri, qui in ocio cum dignitate
uiuere poterant, etiam uitæ suæ hanc
pro-

professionem antetulerunt, quales fu-
erunt Henricus Sutphanienfis, Johan-
nes Croesus theologiæ doctor, Adol-
phus qui Colonię crematus est, & pos-
sem nominare alios multos. Nos qui
fumus superstites ut nihil aliud dicam,
tranquillius uiuere poteramus, si ab
hac causa alieni essemus, multis erudi-
tio aditum ad magnas dignitates pate-
fecisset. Principes nostri etiam sua
onera non leuia sustinent. Sed hoc
unum agimus, cupimus propter glo-
riam Dei propugnari & conseruari
doctrinam puram & salutarem Eccle-
sijs. Sumus etiam hortatores, ut omnia
ciuilia officia colantur à nostris. Stu-
dia literarum quadam non uulgari se-
dultate tuemur, Sicubi exoriri falsæ
opinionis ceperunt, summa diligentia
& fide repressæ sunt, ut testantur scri-
pta nostra, & ipsæ Resp. quæ Dei bene-
ficio omnium in Germania maxime
tranquillæ & sunt & fuerunt. Et q̄ au-
tor scripti Coloniensis nobis obiicit,
accipere nos ab Ecclesia ueras senten-
tias, id plane & libenter fateor & præ-
dico.

dico. Nulla enim noua dogmata gignimus, sed ueterem & puram Ecclesiae doctrinam quantum Deus concedit, illustrare studemus. Samson inquit: Nisi arassetis mea uitula, non inuenissetis, ita semper clamamus doctrinam, ecclesiam inde usque ab initio sonantem uocem Dei, audiendam esse. Sed cur inquit, cum multa ab ecclesia sumenda esse fateamini, non sumitis omnia, cur quaedam conuellitis? Responso uera est. Nullum Ecclesiae dogma conuellimus, sed recentes errores, qui in Ecclesiam contra Euangelium & purioris Ecclesiae iudicia irrepserunt, taxamus: denique ut Coloniensibus uerbis utar, non Ecclesiae, sed cleri Secundarij, hoc est, nothi & degenerantis, falsas opiniones reprehendimus. Contra quid in altera parte agatur, uix suspicari possum. Vt enim in Psalmo dicitur: Oderunt me gratis, ita isti emergentem Euangelij lucem sine causa aliqua opprimere student. Sapientes alij qui praesentem politicae Ecclesiasticae formam aiunt fortiter propugnandam

dam esse. Semper fuisse prudentum gubernatorum munus cauere legum mutationes. Sed si uere uellent iudicare, intelligerent correctis uicijs, non dilacerari, sed muniri potius Ecclesiasticam politiam. Minus fortassis esset splendoris, at plus uerorum ornamentorum doctrinae, pietatis, autoritatis. Dimicant ergo de splendore, luxu, uoluptatibus, non de politica. Suntque usitata haec in Ecclesia certamina, & diiudicantur diuinitus. Quomodo diremptum sit certamen Apostolorum & Iudaicorum Pontificum uidemus. At nunc Pontifices uel maxime gloriari poterant se politiam a Deo constitutam propugnare. Nunc defendit Clerus Secundarius humanas, uiciosas, & recentes leges, & labes politicae Ecclesiasticae, quae fuit initio ecclesiae multo pulchrior, quam nunc est, cum nondum receptae essent corruptelae coenae domini, & alij abusus, sed collegia coetus essent omnium honestissimi piorum doctorum & discipulorum. Semper enim Ecclesiis frequentioribus collegia ad

gia adiuncta fuerunt. Vt enim Prophetas agmina comitabantur auditorum, ut testes doctrinae propheticae, & propagatores essent, ita Apostoli cum constituissent Ecclesias, delecta agmina habebant studiosorum, qui eos familiariter audiebant, & se totos inquisitioni doctrinae dedebant, ut ad posteritatem testes essent de uera sententia Apostolorum, & succederent in munere docendi. Sic Iohannem Polycarpus, & alij multi audierunt. Et fuisse ante Gothica tempora tales in Germania Ecclesias ac scholas, multa uetera monumenta ostendunt. Postquam uero barbaricae gentes Europam peruastarunt, uix sero pacata Germania, cum iam uetus doctrina multis superstitionibus obscurata esset, haec noua forma politicae paulatim constituta est, quae tamen ipsa iam senescens facta est inaequalior, ut sunt omnium politicarum periodi. Et fortassis dirimet Deus hoc certamen de politica magnis publicis mutationibus. Interim uoce Euangelij colligit Ecclesiae reliquias, tanquam
tabulas

tabulas ex naufragio, sicut ante Babylonicum exilium collegit reliquias per Ieremiam, ante excidium Ierosolymae per Baptistam, Christum, & apostolos, ante dilacerationem Romani imperij per Apostolos & eorum discipulos. Miro enim modo Deus Ecclesiam suam regit, instaurat collapsam, & seruat, puniens interim impiam multitudinem uarijs cladibus, ut ordine ostendit series historiae omnium seculorum. Et haec de re saepe Prophetae concionantur. Quanquam igitur sapientibus obstrepunt illa praecipua politica de defendenda praesenti forma, tamen antefera mus uocem aeterni Dei, qui de Filio inquit, Hunc audite. Item mandatum immutabile: Fugite idola.

Respondi de conuictijs, nunc de disputatione pauca adiciam, non ut hic instituum integram harum controuersiarum explicationem, sed tantum, ut de prestigijs scripti rudem lectorem commonefaciam. Nam si qui studio ueritatis has controuersias cupiunt integras cognoscere, extant scripta quae uniuersae

uniuersæ doctrinæ ecclesiasticæ summas continent, & lectori non calumniose iudicanti satisfacere possunt. Nunc cum his rixamur, qui cum agnoscant ueritatem, tamen contra animi sententiam erroribus patrocinantur, & stabiliunt idola. Pugnant autem partim uis, partim fraudibus, uis est cum consuetudinem, consensum magnæ multitudinis allegant. Fraudes sunt, quædam absurdiora occultare, ac promere magis speciosa, pingere quosdam abusus nouis coloribus, facerè quædam uitia, & promittere aliquam correctionem. Id simulant, ut arte obsistant principiis omnium emendationem. Nam qualicumque emendatione tentata, uident secururam esse magnam inclinationem. Ideo metuunt, ut monet Aristoteles, το παρὰ μὲν κρῶν.

Nec uero integre disputat liber delectorum de ulla controuersia. Ideo facilius fuit ludere præstigijs, cum passim excerpant ex materijs quædam plausibilia. Plurimæ pagellæ consuntur

muntur in his locis, de confessione, de satisfactionibus, de inuocatione mortuorum, de cœna domini, de coniugio ministrorum Euangelij.

Præcipue igitur & ego de his respondebo, in quibus, cum uiderit lector qua fide, quo candore causam agant, sciat hos impostores fugiendos esse.

Vtilissimum est Ecclesiæ extare doctrinam de poenitentia purissimam & explicatissimam. Norunt autem omnes fuisse in Sententiarijs infinitam confusionem, & infinitos labyrinthos præcipue in hac materia. Recenserem, nisi & longum esset, & libri ipsi testimonium dicerent.

Nec alia res initio studia bonorum ad Lutheri doctrinam cognoscendam inuitauit, quam quod requirebant puriorem doctrinam de poenitentia. Estque hic locus, Dei beneficio, pie & dextre a nostris explicatus. Confessiones & satisfactionum leges erant carnificinæ conscientiarum, & de fiducia gratuita misericordiæ prorsus silentium erat. Fuit igitur necessarium & patefacere doctrinam

doctrinam de fide, qua remissio peccatorum accipitur propter Christum mediatorem gratis, & qua uera inuocatio accenditur. Et erudiendæ erant mentes, ne falsæ opiniones de enumeratione & satisfactionibus excuterent fidem. Et quid sentiamus liquet ex nostris scriptis. Ipsi enumerationem hic necessariam faciunt, quam haud dubie nec ipsi præstent. Sed est usitatum hypocritis, imponere alijs onera, ut ait Christus, quæ non attingunt digito.

Postea calumniose deprauant quædam dicta Bucerii. Non esset discrimen inquirunt inter Ethnicorum opera & Christianorum, si omnia essent uiciosa. Quid opus est his tragedijs. Diligenter docemus quomodo placeat obedientia in renatis propter Christum, cum tamen sit imperfecta, & semper maneat in hac uita in renatis peccata. Ad dimus etiam discrimen peccati mortalibus seu regnantibus, propter quod amittitur gratia, & peccati non regnantibus seu uentibus, ut uulgo uocant. Sed prætereo
hanc

hanc pagellam, quæ tantum inanem calumniam continet, quæ uel maliciam, uel incitiam scriptoris prodit. Si intelligit doctrinam de iustitia, scit nos recte sentire; si non intelligit, arrogantia est quod se censorem facit.

De satisfactionibus tragice uociferatur. Has omnino tueri conatur, & ait disertis uerbis satisfactionem expressam esse scripturæ spiritu, ac miscet Cypriani dicta & testimonia scripturæ. Cyprianus loquitur de ritu sui temporis, quo ante absolutionem seu castigabantur seu explorabantur hi, qui publica delicta admiserant. Si de his ritibus dimicant, sciunt eos iam multis seculis non obseruatos esse, umbra manet & nomen. Habemus autem satis graues & magnas causas taxandi errores de satisfactionibus, quas definirunt esse opera indebita, & finxerunt per ea compensari poenas purgatorij, etiam si fiant ab ijs, qui non sunt in gratia. Postea ex hoc fonte orta sunt deliramenta de indulgentijs. An has nenas & imposturas iterum uolunt proponi
C

poni populo, quia tam studiose dimi-
cant de nomine satisfactionis, de qua
tamen Bucerus nihil contenderat, cum
alias res in hoc scripto suo egerit.

Scio in hoc consilio delectorum
adhibitos esse quosdam uiros sapien-
tes, qui interdum significarunt se ex-
petere publicam concordiam, quae
tamen uerae doctrinae lucem retineret.
Quae potest autem fieri concordia un-
quam, dum talibus sycophantis conce-
dunt sine fine licentiam renouandi cer-
tamina? Quod uero ait: Spiritu scrip-
turae disertis uerbis satisfactionem ex-
pressam esse. Quam? Scimus tota poe-
nitentia & bonis operibus mereri pios
mitigationem poenarum praesentium,
ut scriptum est: Conuertimini ad me
& conuertar ad uos, &c. Sed quid haec
ad illos ritus satisfactionum ueteres, aut
ad umbram quae adhuc reliqua est?
An arbitratur scriptor loqui Prophe-
tas de peregrinationibus ad S. Iacobum,
aut ad Annae caput in hac uicinia. Ag-
noscis lector candorem scriptoris, cum
ad umbram satisfactionum detorquet
dicta

dicta prophetica, quae loquuntur de
tota poenitentia, de ueris cultibus Dei,
de operibus debitis, non de illis, de qui-
bus dicitur: Frustra colunt me manda-
tis hominum.

De more qui fuit Cypriani tem-
pore alias satis diximus. Nihil ea res ad
remissionem culpae aut poenarum pur-
gatorij pertinebat, nemo adhuc inep-
rias istas somniauerat. Sed erant aliae
causae politicae eius ritus. Exempli cau-
sa proderat quasi quadam ignominia
notare lapsos, desertores fidei, aut ad-
dulteros, nam haec delicta ethnici non
puniebant. Proderat etiam explorare
eorum mentes, an serio resipiscerent.
Et tamen superstitione creuit eius ri-
tus acerbitas, & quaedam sunt duriora
apud ipsum Cyprianum, quam ut pro-
banda sint, ut quod, ait non ualere ab-
solutioem, si non accesserit ille ritus
satisfactionum.

Manet adhuc umbra uetusti mo-
ris, in recipiendis homicidis, qui nos
non primum post Apostolos natus
est. Sed constat & apud ethnicos signa
fuisse

fuisse reorum, quæ gerebant homici-
dæ, ut de Oreste, de Adrasto legimus.
Hæc signa tantisper gerebant donec
certo ritu erant expiati. Arbitror au-
tem à primis patribus hanc ceremoniã
institutam fuisse, ut consuetudine ho-
micidarum cæteris interdiceretur, ac
• discerent rudiores & uitare iniustas
cædes, & abominari homicidas. Sed
hæc exempla nec culpe, nec poenarum
remissionem, quas quidem Deus infli-
git, merentur, imo Deus uult ipsas pœ-
nas nobis tanquam signa reatus esse,
ut cum Dauid eijcitur regno, & illa
tanta gloria non solum regij nominis,
sed etiam sapientiæ & uirtutis exiit,
hic deformatus à Deo, tanquam signis
reatus induitur, hic agnoscit iram Dei,
agnoscit se reum esse, & uere clamat,
Tibi tantum sum peccator seu res rea,
ut tu iustificeris in sermonibus tuis,
&c. Sic ipsas pœnas cõmunes & pro-
prias, quas sustinemus mortem, mor-
bos & cæteras ærumnas intelligamus
non casu accidere, ut Epicurei somnia-
ant, sed testimonia esse iræ Dei aduersus
sus

sus peccata, nosq; reos esse agnosca-
mus, & confugiamus ad filium Dei,
qui factus est propiciatio. Sed desino
de hoc loco iam dicere, etsi nihil utilius
est quàm in Ecclesia sæpe & grauiter
differere de uniuersa pœnitentia, idq;
sedulo fieri à nostris scio. Sed ille bene-
faginatus monachus, qui scripsit librũ
delectorum facit, quod solent hypocri-
tæ, requirit satisfactiones quas ipse mi-
nime præstat. Non est ociosæ & secur-
ræ mentis de magnitudine peccati, de
ira Dei, de fide accipiente remissionem
concionari. Sed hæc propria & arcana
sapientia est Ecclesiæ Dei, nec discitur
nisi in uero certamine, uera lucta, &
inuocatione Dei. Deinde ad hanc sa-
pientiam pertinet dextre discernere
politicos mores, & iusticiam spiritus.
Erant autem Canonice satisfactiones
de quibus Cyprianus loquitur, mos
politicus. At conuersio de qua Pro-
pheta & Apostoli concionantur com-
plectitur motus animi, timorem Dei,
fidem, dilectionem, obedientiam in
cruce, & alios fructus spiritus, ut Pau-
lus nominat. C ij Cum

Cum autem hæc tota causa sæpe fideliter explicata sit, & existimem pijs, qui nostrorum scripta legerunt abunde satisfactum esse, nihil opus est hic longiore refutatione. Pauca igitur de inuocatione mortuorū dicam, de qua, ut sæpe alias, opponit nobis antiquitatem, ait Theosium stratum ad sepulchra mortuorum suas preces dixisse, &c.

Primum igitur de seculo & autoritate scriptorum ueterum ita respondeo, una quædam est Ecclesiæ Dei, catholice perpetua & pura doctrina per Apostolos tradita, quæ habet testimonia Ecclesiæ etiam sequentium ætatum. Sed alij scriptores alijs puriores sunt, ut totum doctrinæ corpus, si quis dextre iudicet, apud Augustinū purius est, quam apud Origenem. Miscet et singula secula aliquid contagij, ut hominum natura in hac imbecillitate nunquam est sine uitijs. Et natura fauemus patrijs & præsentibus moribus, ideo cum semina superstitionum irrepissent in Ecclesiam, sancti patres quædam

quædam uel non satis considerabant uel tollerabant, tametsi non probarēt. Nota est omnibus Augustini querela de superstitione suæ ætatis, cum ait seruitutem Ecclesiæ iam duriorem esse Mosaica. Sed ferebat hic quædam uicia, occupatus alijs difficilioribus certaminibus.

Deinde nondum adeo creuerant abusus illi de quibus nunc differimus, ut postea barbaricis temporibus & cū accessit questus, creuerunt. Erant consuetudo facere mentionem mortuorū in publicis precibus. Nondum accesserat opinio applicandam esse pro eis cœnam Domini, nondum erat res questuosa. Fortassis aliqui priuatim mortuos inuocabant. Nondum tamen erant statuæ, nondum distributa erant munera inter mortuos, nondum Anna dabat opes ut Iuno, nondum Gergorius iuuabat equites, ut Castor & Pollux, deniq; semina sparsa erant, quæ adhuc erant exigua, sed tamen ueram lucem fidei obscurabant. Alij igitur alijs seuerius obsistebant.

Narrat Epiphanius sua ætate mulieres in Syria statuam Mariæ circumtulisse, & ei liba, & nescio quas res alias obtulisse. Hunc morem inter hæreses recenset, & oppressum esse inquit diligentia & autoritate Episcoporum, quod imitatio esset ethnici furoris. Nunc magna pietas ducitur inuocare Mariam, & donaria liberaliter cumulare.

Quare cum nobis antiqua exempla obijcitis, hoc respondemus, nos fideliter, ut supra dictum est, tueri consensum catholicæ Ecclesiæ Christi, & adfirmamus nos de symbolis non dissentire à probatis scriptoribus ueteribus, congruere etiam ætatem illam nobiscum existimamus in cæteris nostris sententijs si dextre de ea iudicetur. Et si enim ipsi scriptores sæpe negligentius loquuntur, & quædam priuata exempla reperiri possunt, quæ nostris ritibus aduersantur, tamen mos Ecclesiæ publicus fere conuenit nobiscum. Cæna domini una communis erat, etiam si fortassis reperias exemplum ubi aliquis sua quadam superstitione priuatim tan-

tim tanquam sacrificaturus, consuetudinem publicam mutauit. Ita & mortuos aliqui inuocabant. Paulatim etiam hæc superstitiones irreperunt.

Nec valet argumentum uestrum. Hæc facta sunt ætate patrum. Retinetur igitur mos præsens. Est enim dissimilis, ut si quis dicat pater tolerat filium sapius conuiuantem, ergo debebit ferre & grassatorem et insidiantem alienæ pudiciæ. Ita vos exemplis ueterum, quæ adhuc minus mali habent, posteroris ætatis uicia, quæ iam similia sunt Ethnicis, stabilire conamini. Etiam si Basilius hac uoce compellat Martyres ὁ ἄγαθος κοινῶν προτιδῶν, δεισέως οὐκ ἔργοι, πρεσβυταὶ δὲ ματῶν τοι, non tamen retinendus est mos huius ætatis cum omnia plena sunt statuarum & ad eas alligatur uel Dei, uel mortuorum inuocatio, & ut olim à Neptuno prospera nauigatio, à Cerere fruges petebantur, ita nunc uarij opitulatores inuocantur. Quare cum uetustum morem constet dissimilem esse posterioribus seculis, omittite illa priuata & pau-

ea exempla, ac ad normam uidelicet
ad scripta Prophetica & Apostolica
redite. Lapis inquit Basilius, ad nor-
mam accommodandus est, non nor-
ma ad lapidem inflectenda. Exempla
legibus congruant, ut uulgo dici solet.

Hæc de scriptorum ueterum etate
hoc loco dicta, uolo etiam ualere in res
liquis. Non enim prorsus sine uicio
ætas illa fuit, & tamē nec Hieronymus
facit mentionem inuocationis, litigans
cum Vigilantio de honoribus mortuo-
rum, nec quid fecerit Theodosius clare
dicitur. Sed ut fuerit mos dicere: ora
pro me Paule, tamen semina errorum,
ut in herbis fuerunt, & his seminibus
non est recentium temporum furor
confirmandus.

Sed clamatis, aliquid populi in-
firmitati, & publicæ tranquillitati con-
donandum esse: quantum mali est
dicitis, etiam si pio errore uulgus in-
uocat mortuos, petit opem ad certas
statuas, Semper uulgus aliquid habet
ineptiarum. Huic orationi sapientum
hoc opponimus, una res est omnium
maxima

maxima, inuocatio Dei, quæ proprie
discernit Ecclesiam Dei à cæteris gen-
tibus. Multi & sunt & fuerunt ignari
Dei, qui tamen alijs ciuilibus uirtuti-
bus omnibus præditi fuerunt, ut Ari-
stides, Scipio, Pomponius, Atticus.
Sed hæc uirtus defuit, inuocatio Dei.
De hac Ecclesiam doceri necesse est.
Hæc est arx piorum, ut dicitur in Sa-
lomone. Arx firmissima, nomen Do-
mini. Et quanquam adeo facilis res &
nota ac exposita omnibus inuocatio
esse putatur, ut uos magni doctores de
ea raro concionemini, tamen facillime
corrumpitur, facillime excutitur. Nos-
runt omnes homines naturali iudicio,
esse Deum, mentem æternam causam
boni in natura, ut Plato definit. Ideo
omnes quoquo modo inuocant. Imo
quia illam mentem cogitant non esse
solam, uult enim agnoscī & conspici,
addunt ei familiares aliquos. Hos
quoq; inuocant. Hinc turba est deo-
rum apud Ethnicos, hinc mortuo-
rum inuocatio. Quid hæc habent
incommodi inquires? plurimum.
Tantum

Tantum ita uult inuocari Deus, ut se patefecit, uult se unum agnosci conditorem & opitulatorem, & placatus est per filium. Huius fiducia uult inuocari. Ceteræ gentes nec agnoscunt Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi, nec certo statuere possunt respici & accipi suas preces. Ecclesia certa est, & uult Deus nos credere promissioni, quæ propter filium nos exaudiat.

Accurrit populus ad statuas, recitat precationem, non cogitat quid inuocet, Deum ne? an animam mortui, nec cogitat an Deus sic uelit inuocari, & cur uelit certo preces nostras recipere. Hi furores toties damnati concionibus Prophetarum, confirmantur à uobis dum defenditis hunc morem quocumque prætextu. Nihil ne sceleris esse putatis miscere religiones, Ethnicam & Christianam, obruere ueram Dei inuocationem, polluere Ecclesiam Dei, spoliare hanc ærumnosam hominum naturam uero præsidio. Si sic cogitant homines, Quirine depelle morbum impietas est, quod tribuunt creaturæ

tura potentiam Dei. Sin autem cogitant, Deus depelle morbum propter preces Quirini, impietas est alligare Deum ad hanc statuam & fingere has preces hic magis recipi. Nec scit mens an uelit Deus sic inuocari. Et consuetudo abducit homines à uero mediatore, & intellectu mediatoris. Conditi sumus & redempti, ut Deum agnoscamus, uere inuocemus, ac celebremus, non ut Philosophi putabant, sua quisque opinione, sed ut se ipse Deus uoce sua patefecit. Quare ad hunc Deum inuisibilem, qui se patefecit exhibitio filio, & sua uoce iussit nos hunc filium audire, qui cum suo Filio & Spiritu sancto condidit uniuersam naturam, directa sit oratio, & sit accensa fides, quæ credat recipi preces propter filium mediatorem, & petat nos Spiritu sancto gubernari & sanctificari. Sic sonant Prophetarum, Apostolorum & Ecclesie purioris preces. Quoties inchoas precationem, cogitet mens: Te uiuum & omnipotentem Deum, æternum, patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem

conditorem vniverse creaturæ & conseruatore[m] cum filio tuo domino nostro Iesu Christo & Spiritu sancto inuoco, miserere mei propter filium tuum dominum nostrum Iesum Christum, quem pro nobis uictimam fieri uoluisti, & mediatorem ac deprecato[r]em pro nobis constituisti mirando & inenarrabili consilio, ut iram tuam ueram aduersus peccata generis humani & immensam misericordiam erga nos declarares, & sanctifica ac rege me Spiritu sancto tuo, collige, rege & serua tibi Ecclesiam, rege politias, da nobis uictum, pacem, bona & foelicia consilia negociorum, &c. Tales aliqua forma sit precum, quæ simul discernat inuocationem nostram, ab Ethnica, Iudaica, Mahometica, & excitet fidem, quæ statuat recipi preces propter filium, & placere deo talem cultum. Harum maximarum rerum doctrinam Ecclesie necessariam, delent & extinguunt illæ Ethnicæ opiniones de inuocatione mortuorum, quas vos alitis & confirmatis. Quod idolum hactenus tollitis.

Adhuc

Adhuc pecuniam colligi audio ad pallium Annæ faciendum, in quo ut in pallio Mineruæ Atticæ intexetis fortassis gigantomachiam uestram qua bellum coelo infertis. Hæc recensui, ut quanta de re agatur, & quid, quo candore agatis, lector consideret.

Allegant causam in pagina E iij. cur mortui inuocandi sint, quia inquit multa requiruntur ad dignam & sanctam orationem, ut habet Cyprianus, quæ citius in sanctis à corpore absolutis, quàm in uiuis est reperire. Expende lector quale sit hoc dictum. Etsi orantem oportet adferre ad Deum conuersionem, tamē fiducia petitionis non debet niti propria dignitate, sed mediatore Christo, sicut ipse inquit: Quidquid petieritis in nomine meo dabit uobis. Iubet in nomine suo peti, hoc est, nominato ipso, rogato Patre propter Filium, & hac fiducia, quod propter eum uelit nos recipere, exaudire, iuuare, ut Paulus inquit: Per hunc habemus accessum ad Deum. Item, talem habentes Pontificem, accedamus ad Deum.

Si

Si suam dignitatem metietur Dauid,
quando inuocabit? imo sic accedendū
est ad Deum, cum conuersione, & con-
fessione indignitatis, ut ait Dauid:
Non iustificabitur coram te omnis ui-
uens. Item, Tibi tantum sum peccator
&c. Daniel: Non propter iusticiam
nostram peto, sed ad misericordiam
tuam confugio, & peto propter domi-
num, id est, uenturū Messiam. Sic nos
Prophetae, sic Christus, sic Apostoli, sic
Ecclesia iubet precari, sed isti deterrēt
uiuos, ne inuocent Deum, ac iubent in-
terea quærere mortuos, qui sint pro eis
περὸ βυθῶν, ut memini in quodam pa-
go interrogatos colonos, an scirent
preces, respondere, satis esse si sciat eas
pastor, qui propterea conductus sit, ut
pro ipsis oret.

Reliquas nenas & calumnias de
hoc loco prætereo. Adhortor autem
pium lectorem, ne existimet de re leui
dimicari, cum de inuocatione differi-
mus, sed cogitet ueram inuocationem
præcipuū esse præsidium, ut ita dicam,
piæ mentis in tantis ærumnis uitæ
communis,

communis, sicut in Psalmo dicitur:
Illi in curribus & equis. Nos autem in
nomine Dei nostri inuocabimus, cogi-
tet item inuocationem ueram præci-
puum munus esse quod Deo præstan-
dum est, & Christi beneficia sine hoc
exercitio non posse cognosci, Deinde
hæc argumenta sibi proponat. Inuo-
cans naturam inuisibilem tribuit ei
omnipotentiam, quia statuit eam uide-
re motus cordum in omnibus homini-
bus. Præterea mens non statuit Deo
placere cultum, non comprobatum di-
cto diuino. Postremo, quoquomodo
corrigitur hic ritus, tamen abducit o-
culos à mediatore Christo, & labefacit fi-
dem, id est, fiduciam mediatoris, quæ
in inuocatione lucere debet. Et parit
multiplices superstitiones, quas hor-
rendæ poenæ comitantur.

Hactenus de inuocatione dixi.
Longe aliud est loqui de prædicandis
eorum uirtutibus, quæ nō solum imi-
tationis causa proponendæ sunt, sed
etiam ut discamus quomodo Deus Ec-
clesiam gubernet, consideremus quale
D fuerit

fuerit Prophetarum, Apostolorum,
Episcoporum ministerium, agamus
Deo gratias quod Ecclesiam seruat. Con-
sideremus exempla ire & misericordie
Dei, ut in Davidis, in Manassis histo-
ria, quae nos de timore & de fide docet,
Magnum & mirandum theatrum est
haec tota rerum natura, pulchritudo &
ordo corporum caelestium, motuum
leges, terrae fecunditas, fluminum pe-
rennitas, Illustria his tot rebus uestigia
Dei impressa sunt, sed nullum pulchri-
us opus aut spectatu dignius est aut
plura de Deo testimonia nobis cernen-
da exhibens, quam homo pius, ut Ab-
raham, Sara, Ioseph, Dauid, Esaias, Ie-
remias, Elizabeth, Paulus & alij. Multa
igitur grauisime & utilissime de sanctis
dici possunt, remota inuocatione.

Nunc de coena domini dicturus,
obtestor omnes pios, non ut nostra
scripta legant, sed ut oculos circumfer-
rant per tot templa uniuersae Europae,
& considerent quanta sit huius diuini
instituti prophanatio. Maxima turba
sacrificulorum prorsus ignorans quid
agat,

agat, & polluta conscientia seruit con-
suetudini aut suo uentri. Praeterea
cum ceremonia instituta sit ad fidem
in uiuentibus exercendam, transfertur
indignissime ad mortuos. Postremo
cum sacramenta sint certi generis acti-
ones isti panem circumferunt prorsus
extra institutum usum, & extra sacra-
menti actionem. Cum autem Deus
ad nullam creaturam alligandus sit si-
ne suo uerbo, certissimum est extra in-
stitutam actionem, panem rem alie-
nam esse a sacramento. Certum est
cum baptizatur homo, in actione ad-
esse Spiritum sanctum. Iam si quis ba-
ptismi aquam circumferet, quasi inclusus
ibi Spiritus sanctus maneat, ac iuberet
eam adorari, omnes pii hunc errorem
execrarentur. Ita de coena Domini sciant
pii ceremoniam in actione sacramentum
esse, non panem ad alium usum circumlatum.
Si iam reuiuiscerent Ambrosius & Au-
gustinus, ut non dicam de Apostolis, ac
uenirent ad haec spectacula, in quibus
longo ordine incedunt sacrificuli, ge-
stantes ligneos, argenteas, marmoreas
D ij statuas,

statuas, deinde uero sequitur Hiero-
phantes, gestans panem, uiderentq;
circumfusam multitudinem inuocare
hunc panem, expauescerent, ac inter-
rogarent ubi gentium essent, & quæ
nouæ post suam aetatem Ethnicorum
ceremoniæ natæ essent: non enim pu-
tarent se in loca Ecclesiæ Christianæ
uenisse. Cum uero audirent cœnam
Domini in hunc morem, conuersam
esse, tum uero simul dolore atq; indig-
natione exardescerent, & magno ani-
mi motu populum ad uerum sacra-
menti usum reuocarent, & de ueris pie-
tatis exercitijs monerent.

Fuit olim similis Persica consue-
tudo, circumferebatur sacer ignis, quæ
adorabat populus, ac præibant trecen-
ti sexaginta quinque sacerdotes, ut nu-
merus congrueret ad dies anni, & ge-
rebant certa ornamenta.

Cum igitur tanti abusus in con-
spectu sint, cur adeo duri estis, ut gemi-
tus piorum & querelas iustissimas au-
dire nolitis. Deinde quanquam ipsi a-
gnoscat hæc uicia, tamen ea populo
excusatis,

excusatis, ne politia Ecclesiastica, ut
dicitis, moueatur. Citatis ueterum tes-
timonia, Canones, synodos, ut indo-
ctis fucū faciatis, & errores cōfirmetis.

Memini me à grauis uiris audi-
re, uenisse Tubingam sacrificulum, qui
nescio quas reliquias, ut uocant, osiū
circumferens, hoc præconio eas popu-
lo cōmendabat, uidelicet, nihil à pesti-
lentiæ periculi fore toto anno his, qui
semel eas reliquias osculati essent.
Ebrardus princeps sapiens & grauis,
non ferendam scurrilem impudētiam
in concionibus iudicans, obiurgat aspe-
re sacrificulum illum. Is respondet se
uera dicere, quia populus nō det oscu-
lum reliquijs, sed uitro. Tales sunt ue-
stri colores quib. nūc excusatis abusus,
ut extricetis uos ex piarum reprehen-
sionum laqueis, & tamen in populo
praua consuetudo & error confirme-
tur. Ambiguas & mutilas descriptiōes
sacrificij excogitatis, deinde pro mor-
tuis dicitis ualere, si nō adplicationem,
at suffragium. Fingitis cothurnos in
canone, ut leniatis absurditates. Nam

sibi petitis ut huic hostiæ Deus faueat.
Hoc quid sibi uult si Filium offertis.
Deniq; præparatas elusiones in multis
materijs habetis uelut Iudæi.

Nostra simplicia sunt & explicata.
Constat enim apud ueteres annis fere
quadringentis fuisse unam cõmunem
cœnam, sine priuatis. Huic mori pu-
blico & probato opponitis exemplum
inde usque ex Africa allatum, de pri-
uata Missa, qua pulsum est alicubi spe-
ctrum. Credibile est paulatim exem-
pla eius moris, præsertim apud barba-
ras nationes irrepisse. Sed plus ualeat
mos publicus & probatus. Paulatim
& mentio mortuorum in cœna, rece-
pta est, græcus Canon dicit offerri pro
Prophetis & Apostolis. Hæc erat gra-
tiarum actio probanda, non fiebat ad
eos liberandos à pœnis. Postea opinio
nata est, de adplicatione ut mortui à
pœnis liberentur, quæ tamen naturæ
sacramenti repugnat, quod ad fidem
excitandam in uiuentibus institutum
est. Sicut inquit Christus: Facite ad
mei recordationem. Præterea oratio,
quæ

quæ nõ habet testimonium scripturæ,
incerta est. Nusquam autem in Pro-
phetis aut Apostolis extat exemplum.

Vetus igitur puritas restituitur,
ut populus recte intelligat uim &
usum sacramenti, & assuefiat ad uera
fidei exercitia in usu sacramenti, non
concipiat falsam fiduciam de alieno
opere, non abducatur ab agnitione be-
neficiorum Christi, sciant sumentes se
fieri membra Christi, & hanc sumpti-
onem esse pignus quod testatur uere
nobis exhiberi, donari, adplicari prop-
ter filium Dei, remissionem peccatorũ
in Euangelio promissam. Et fides ex-
citata hoc pignore nitatur non suo uel
ministri opere, sed mediatore Christo,
cogitet de ira Dei aduersus peccatum,
de uictima, de Christo gubernante &
defendente Ecclesiã, agat Deo gratias,
petat regi nos Spiritu sancto, & flectat
mentem ad ueram obedientiam. De
his tantis rebus in usu sacramenti com-
monefaciendi sunt homines, quarum
notitia extinguatur, cum alitur fidus
cia meriti & applicationis sacrificuli,

D iij

& dia

& discernitur adplicatio sacrificuli, à populi adplicatione qua sua fide quisq; sibi in usu sacramenti & alias adplicat Christum. Suntq; opiniones de adplicatione sacrificuli, natae ex ignorantione doctrinae de iusticia fidei.

Plura autem de tota causa alias diximus, nec delecti quid uelint defendere ausi sunt integre dicere, sed allegant mediae & ultimae aetatis scriptorū dicta. Prouoco & ipse ad scripta uetustiora, & magnopere optarim conferri scriptores, ac non solum numerari, sed etiam ponderari suffragia. Scio esse magnam dissimilitudinem, & recentiora subinde sunt impuriora: Ultima aetas dicit de interitu panis, & quaerit quid edat mus, rodens panem consecratum. Inuitus haec recito, & cohortescor cogitans. Quid simile est in ueteribus Epiphano, Ambrosio, Augustino, quanto hi circūspectius loquuntur?

Nec tam doctrina, quam fide & attentione opus est in hac cōtrouersia iudicanda. Omnes sani intelligunt hanc sententiam uerissimam esse, Sacramenta

cramenta certi generis actiones esse, extra institutam actionem quidquam retinere sacramenti rationem. Quare nō tam inscitiam, quam negligentiam reprehendam arbitror in illis qui errore aut olim hos abusos auxerunt, aut nunc stabiliunt. Nam qui nunc admoniti, tamen propugnant, peccant magis quadā impia peruersitate, quam errore, pios uero adhortor ut fugiant prophanationem coenae Domini, quae fit in Missis priuatis & illa pompa Perfica, de qua dixi, & cogitent officium esse unum omnium summum, propter quod praecipue conditi & redempti sumus, recte inuocare Deum, & meminertint mandatum: Fugite idola. Dixi multo breuius & tenuius de re tanta, & delectos moneo, ut caueant ne maiora certamina excitent. Ipsi dum suo odio & petulantiae morem gerunt, nouas quaestiones mouent, quarum agitatio ipsis minime profutura est.

Aliquoties ostendunt delecti se quoque expetere emendationem Ecclesiae, & accusant negligentiam superiorum

D v rum d

rum à quibus hæcenus eius rei consilia
impedita esse queruntur. Hæc artifi-
ciosa ironia est σχῆμα πολιτικῶν λόγων,
ut uocat Thucydides, cum honesto
prætextu praua consilia reguntur, ut
in re publica sæpe fieri solet. Simulant
studium Ecclesiæ emendandæ, cum res
uera nolint abusuū neruos labefactari,
nolunt attigi inuocationes mortuorū,
Missam, coelibatum, uota, imo adhuc
damnant utentes integro sacramento,
Mordicus retinent errores doctrinæ
de pœnitentia, de iustitia: Qualem igitur
expetunt emendationem & dicam:
Volunt à statuis in templis detergi pul-
uerem, uolunt picturas ueteres obso-
lescentes in templorum parietibus re-
nouari. Et ut faciant aliquid ex Del-
phico oraculo, uolunt aras cubicas du-
plicari, ut sint augustiores, ferent leges
de non alanda barba, de βαρτολογία
precum non intellectarum. Hæc sunt
illæ magnæ res, quarum restitutio-
nem requirunt, quam deplorant im-
peditam esse à Principe. Odium, su-
um & contumaciã significant, ac in-
iuste traducunt Principem, qui tot iam

annos cum uiris præcipuis summorum
ordinum, ut ipsi Delecti norunt, delibe-
rauit quomodo uere cõsulatur populi
saluti, & uera iuocatio Dei restituatur.
Hæc consilia illi præcipue impediẽt,
qui nec doctrinæ puræ lucem, nec cen-
surã de suis morib. ferre possunt. Non
uoluit Princeps proponi fucosas emen-
dationes, sed fidei & morib. p̄futuras.
Videbat populi incitiã, supersticio-
nes, statuarū adorationem, neglectio-
nem disciplinæ, uidebat pastoribus in-
doctis cõmendari Ecclesias, stipẽdia ue-
ro prædæ esse absentib. Videbat multis
modis prophanari cœnam Domini, ui-
debat mores sacerdotū corruptos fru-
stra ad canonum uincula reuocari. Ne
uos quidem Delecti hoc passuri eratis.
Fuit igitur longã & tarda rei tantę de-
liberatio, ut quærerẽtur salutaria reme-
dia. Opto autẽ ut inueniat cõgruentia
ad Euangeliũ Dei, quod norma est gu-
bernationis Ecclesiasticę. Quam enim
uos normam proponitis? cum adhuc
propugnetis iniustã legẽ de coelibatu,
quam uos ipsi scitis fontẽ esse multorū
ingentium

ingentium scelerum, quæ Deum horribiliter offendunt, & sæpe publicis cladibus puniuntur, & exemplo publicis moribus nocent.

Hic magnos acervos futillium Cænonum & argumenta futilliora cumulat, quibus omnibus oppono unam hanc regulam. Prouidendum est omnibus gubernatoribus, præcipue uero Ecclesiasticis, ne legem condant, quæ impedit ueram inuocationem Dei. Constat autem paucos ad cœlibatum idoneos esse: ceteri aut uincuntur communi imbecillitate, aut infœliciter secum ipsi luctantur. Hi impediti maculis conscientiæ non inuocant sed fugiunt Deum. Inde multi in Epicureum contemptum ruunt, aut desperatione opprimuntur. Quare hæc lex tot iam seculis infinita agmina animarum à Deo auulsit, & in exitium æternum impulit. O ferrea pectora omnium gubernatorum, si hæc tanta mala nõ considerant, si non adficiuntur interitu animarum, si non putant magnum scelus, impedire ueram inuocationem, si nõ cogitant

Ecclesijs

Ecclesijs utiliores esse pastores pios & doctos maritos, quàm leues & indoctos cœlibes. Scitis autem uos ipsi multis locis deesse pastores, scitis iam uiginti annis multa bona ingenia, quæ utiliter Euangelio seruire poterant, propter uinculum cœlibatus non accessisse ad ministeria Ecclesiastica.

Memini quendam Episcopum Ratisbonæ Contareno dicere, necessarium concedendum esse coniugium presbyteris, quia alioqui defuturi essent ecclesijs pastores, & iam multas stare desertas sine ministris. Tum Contareno miratus posse se mederi inquit huic rei, quia Italia monachis abundat, quos sit missurus Pontifex ad uacuas Ecclesias. Quid agent, inquit ille, cum linguam nostram nesciant? Contareno respondet sacrificaturos esse de more. Episcopus uerecunde respondit, necessarium munus esse, docere populum & Euangelij cognitione pietatem esse alendam, non sufficere spectacula ceremoniarum.

Cum igitur tam multæ magnæ causæ

cause sint, quæ quidem uobis omnibus
notissima sunt, ne prohibeatur coniu-
gium, non dubito multos hanc uitupe-
rationem coniugij in uestro scripto,
magno cum gemitu lecturos esse. Est
quædam ita perspicua ueritas, ut non
inscitia esse possit, sed sit impudentia
fustibus punienda si quis contradicat,
ut cum Academici labefactare princi-
pia geometrica conabantur. Ita cum
omnes sani norint quanta Ecclesiæ la-
bes sit, coniugij prohibitio, impudentia
non uulgaris est eam defendere. Sed
Paulus hac de re atrocius loquitur, qui
coniugij prohibitionem inquit doctri-
nam esse dæmoniorum.

Vos uero non tantum defenditis,
sed etiam scurrilem uerborum obscœ-
nitatem, & multas calumnias additis.
Decem millia sacerdotum sunt iam in
Germania, qui sunt coniuges & habent
multos liberos. Nec dubium est pluri-
mas matronas in hoc cœtu Deum uera
pietate colere & hæredes esse uitæ æter-
næ. Has omnes Eccius in postremo
suo scripto lupas nominat. Et quidem

ut

ut facetus uideatur, pene in singulis pa-
ginis in illa sua tanq̃ Cygnea cantioe,
idē conuiciū repetit. Etiā si causam nō
probabat Eccius, tamen erat hominis
sexui parcere. Quanto uerecundius
Augustinus, qui tamen si uota solui no-
lebat, tamē post uotū, cōiugia cōtracta
rata esse uoluit, uidit uir sapiens haben-
dam esse rationē mulieris, & de uoto di-
spēsabat, ne iniuria mulieri fieret. Nec
uetusti Canones primas aut secundas
nuptias improbāt, tantū à ministerijs re-
mouēt eos, q̃ malebāt ī cōiugio uiuere,
& uite gen^o pbant, Eccius spurcissimo
ore coniugij ipsum dānat, & tot hone-
stas & pias matronas lupas nominat.

Nec profecto quenquam modera-
tum uirum in tota Germania, quamli-
bet inimicum nostræ causæ esse arbi-
tror, qui non iudicet hanc Eccij rabiem
à magistratibus puniendam fuisse.
Vos nunc imitamini, toties uocatis in-
cœstam, item sceleratam consuetudinē,
& additis alias contumeliosas ad-
pellationes, & Plautina uerba, quæ nō
recitabo, legantur hæ deliciae in uestris
libris,

libris, nō enim obscenitate uobiscum
certabo, etsi mores quorundam ex uo-
bis satis magnam materiam suppedi-
tant. Sed prudentes magistratus oro,
ut hanc uestram petulantiam coherce-
ant, qui si negligent, uos tamen admo-
neo, ne contemnatis ingenia tot iune-
num, qui iam ex his cōnubijs nati sunt.
Vt quisq; est generosissimus, ita maxi-
me irritatur contumelia matris.

Non dubito autem Deo curæ esse
familias nostrorum sacerdotum, qui
recte & fideliter docent Euangelium,
& magnas ærumnas propter Christū
sustinent. Et sunt aliqui non obscuris
testimonijs diuinis ornati, quos nomi-
nare possem. Seruabit igitur Deus eo-
rum posteritatem & aditum ad rem-
pub. filijs eorum concedet, qui mihi
credite, non obliuiscuntur has contu-
melias. Et ne obliuiscantur, à multis
bonis uiris commonefaciendi erunt,
qui eos iam optima doctrina instruūt,
ut utiliter seruire reipub. & uestram
tyrannidem euertere possint. Tandem
ueritas, quamuis diu repressa, elucta-
bitur

bitur ex presentibus difficultatibus, &
uestram hypocrisin, uestras calumnias
& imposturas obruet.

Obtulit se D. Bucertus ad placidā
disputationem & collationem doctri-
næ, nec reprehendo eius consilium.
Sed quid cum ijs disputare prodest, qui
etiam cum norunt se malam causam
propugnare, tamen nullum finem fa-
ciunt præstigarum, ne uideantur ce-
cidisse causa. Quare nolui longas re-
futationes instituere, quid enim atti-
net hæc futilia diluere. Nemini hodie
nisi uolenti imponitur necessitas, quia
nemo nisi uolens adit sacerdotium.
Pseudolum ista decent in comœdia.

Fingite onus esse uoluntarium,
num propterea lex ualet supersticiosa,
maximæ multitudini impossibilis, im-
pediens ueram inuocationem, & exi-
ciosa magnæ parti cœlibum? Nemo
nisi uolens pecuniam à fœneratore
mutuam sumit, num propterea lex
quæ adprobauit fœnus, iusta fuit? De-
inde quomodo uolentes dicuntur, ut
qui data pecunia uitam redimunt à la-

E troni

tronibus. Itaq; multos pios & doctos deterrent à ministerio. Quare iniustissimum est addi necessario ordini tam periculosum onus. Doment, inquit carnem, cur ipsi non domant?

Vtinam crederet uere offendi Deum impuritate & incendijs animi & corporis in hoc genere, utinam intelligerent quæ uirtus sit castitas, quam grata Deo. Etsi natura hominis in hac imbecillitate, prona est ad uicia, tamē gradus sunt huius rei. Natura tenera dum crescūt corpora & ante ^{an. m. p.} talis est, ut nondum ei aliqua coniugali consuetudine opus sit. Ideo in ea aetate, si mediocris diligentia & aliqua pietatis exercitia accedunt, puritas recte conseruari potest. Id sciat iuuentus, ut maiore cura regat mores, nec difficultatis opinione remittat diligentiam.

Multos implicat diabolus uarijs uicijs, quæ natura adhuc tenera reformidat. Has insidias diaboli, & praua sodalicia cauere iuuentus discat, ac cogitet diabolum longam telam texere. Cum semel sunt impliciti, postea plu-

res

res lapsus, & graues poenæ in omni uita sequuntur, quia uox Dei non fallit, quæ ait, Scortatores & adulteros iudicabit Deus.

Postea homo uegetus in ^{an. m. p.} magis experiri uires suas potest. Si donum habet, ut mediocri diligentia adhibita retineat uerā puritatem corporis, praeclare facit, si hoc donum tuetur. Sed si mediocris diligentia non proficit, mandatum Dei est, ut coniugio utatur, sicut diuinitus sancitum est, & in eo uitæ genere pure uiuat. Est igitur hic quoque castitas, consuetudo coniugalis, cum puritate illa coniuncta, quia seruatur naturæ ordo, quæ Deus instituit, qui & coniungi marē & foeminā certa lege, & hos coniunctos non uagari affectibus, nec alijs modis contaminari, uoluit. Et p̄ hac uoluntate uiuētes in coniugio retinere consciētiae puritatem, & inuocare Deum possunt. Mandatum clare exat apud Paulum. Vitandæ scortationis causa, unusquisque uxorem suam habeat. Item, Ne erretis. Nec scortatores, nec adulteri regnum Dei possidebūt.

E ij

Hac

Hæc fulmina opponimus superstitio-
sis canonibus, qui coniugiū prohibent.

Si qui uero spreto diuino remedio
ruunt in libidines, non retinent consci-
entiæ integritatem, nec possunt Deum
inuocare. Sequitur ergo aut Epicureus
contemptus Dei, aut desperatio, ac res
ostendit maximam partem sacrificulo-
rum in tali Epicureo contemptu Dei
totum uitæ curriculum conficere. Hæc
qui uere mala esse ducunt, legem cœlis
batus execrentur.

Sed potest, dicitis, seruari, domita
carne. Consentaneum est aliquos fœ-
cundos etiam in ἀκμῇ, sed occupatos
magnis & ueris curis, tantisper dnm
sunt occupati, retinere puritatem, ut
Augustinus, etsi iunior uixit liberius,
tamen postea cum incidisset in certa-
mina acerrima cum hæreticis, cumq;
ad motus gubernationi perpetuis curis
exerceretur, facilius hæc incendia res-
stinxit. Et tamen querelas multorum
talium legimus. Reliqui sunt alij tran-
quillius uiuentes, qui etsi luctantur se-
cum, tamen puritatem corporis non
retinent,

retinent, ut Gerson alicubi significat.
Hæc non est castitas, sed uitæ ratio dis-
sentiens ab ordinatione diuina. Et hi
motus incompoti sæpe uulnerant
conscientias, ac impediunt inuocatio-
nem Dei. Quare Paulus dixit: Melius
est nubere quàm uri.

Primum igitur in hac disputatio-
ne cogitet pia mens mandatum Dei
quod præcipit castitatem, id est, purita-
tem animi & corporis, & consideret
horribiles comminationes & pœnas
quibus Deus iram suam aduersus cor-
porum contaminationem declarauit.
Notæ sunt historiae. Inter diluuij cau-
sas recensentur libidines. Postea Sodo-
ma deleta, occisa uiginti quatuor milia
hominum in deserto, suspensi omniū
tribuum Principes. Tribus Beniamin
fere funditus deleta, propter stupra-
tam Leuitæ coniugem. Dauid propter
adulterium regno expulsus est. Causæ
excidij Ierosolymæ, à Ieremia nomi-
nantur duæ præcipuæ, idolorū cultus,
& adulteria, propter has causas & cæ-
tera regna toto orbe terrarum uarijs

E iij

tumulti

tumulibus quassata & mutata sunt. Troia eversa est propter raptam Helenen. Romæ reges pulsi sunt propter stupratam Lucretiam, Aegyptij reges propter uarias libidines delati sunt. Denique cur Turci Asiam, Græciam, Illyricum, Pannoniam oppresserunt? Non dubium est præcipue puniri hæc tristi seruitute prophanationem cœnæ Domini, & libidines.

Quare cogitatione mandati diuini & pœnarum nos ad castitatem excitemus, & quæ sit uera castitas discamus ex testimonijs diuinis, non ex rancidis Canonibus. Si cui donum contigit, diligentiâ tueatur, si quis puritatem corporis extra coniugium nõ retinet, ducat coniugem, iuxta legem Dei, ut in eo uite genere caste & pure uiuat, & sciat hoc ordine conditam esse hominum naturam, ut σοφῆ sit mutua in utroque sexu, & mares suscipiant curam defendendi & fouendi alteram partem generis humani. Deinde sciat hoc ipsum uitæ genus non leuem militiam esse, quia mulieri labores parandi, & educandi

educandi sobolem, uiro multiplices curas domesticas adfert, in quibus uult Deus fidei & dilectionis exercitia lucrere. Nec tantum domesticis curis implicatur maritus, sed etiam ciuilibus, magis ei propter familiam imbecillum opus est communi pace, magis statu mediocri posteritatis.

Harum igitur rerum cura, etsi adfici aliquos coelibes, ut Baptistam, Christum, Paulum & alios uidemus, tamen hi Heroici motus non solent esse in uulgo coelibum, quod expedite uiuit, non ut se curis publicis oneret, sed ut pericula & molestias fugiat. Μεγάλη τυραννὶς ἐνδοξί τεύχεα καὶ γυνή, inquit Euripides, Verum est difficile seruitutem esse coniugium, sed Deo grata est, cum mens recte eam sustinet, exercet inuocationem, meminit generationem sic à Deo institutam esse, qua quidem procreandi sint homines in Ecclesia æterna Deum celebraturi, nec uult tam mirando opere generationis abuti, ut coelibes horribiliter abutuntur. Suscipit & reliqua negotia familiæ, ciuitati,

Ecclesie sue necessaria, Nam ut hæreditatem, ita honestum ciuitatis statum & Ecclesie puritatem liberis præstare debet.

Tales fuerunt coniuges plurimi, non solum in populo Israel, sed etiam Episcopi ueteres, scitis Nazanzenum patre Episcopo natum esse. Is cum prædicat parentum coniugium, narrat tantam eruditionem & pietatem fuisse matris, ut patris fidem sua collatione & disputatione sæpe erexerit & confirmarit, ait & non solum in domestica consuetudine eam leniisse curas patris, sed etiam cum autoritate in cœtu mulierum ualere, plurimum ad publicam concordiam grauitatem ipsius profuisse. Tales multæ fuerunt familie presbyterorum initio, & nunc noui tales multas, quarum exempla profunt totis ciuitatibus.

Constituta igitur definitione castitatis, redeo ad refutationem calumniarum, quæ sunt in libro delectorum. Hortatur Christus, inquit, ad continentiam, Bucerus dehortatur. Viri

auscultan

auscultandum: ac tales antitheses multas coaceruant, ut fucum rudibus faciant. Vera & firma responsio est. Christus hortatur idoneos ad cœlibatum, ut donum recte tueantur. Idem Christus ihs, qui puritatem extra coniugium non retinet, præcipit ut pure in coniugio uiuant. De his & Bucerus loquitur, prorsus ut Paulus, qui ait, Vitandæ scortationis causa, suam quisque uxorem habeat. Item, Melius est nubere, quam uri.

Cœlebs curat ea, quæ sunt Domini. An de cœlibe immundo loqui Paulum existimatis, qui aut ruit in libidines, aut infeliciter cum natura foecunda luctatur? Tales cœlibes cum inuocare Deum non possint, quomodo curabunt res diuinas? Cœlebs dono præditus, & occupatus sua militia, ut Baptista, Paulus, Athanasius, expeditior est ad omnes subitos casus, qui incidunt in tanta mole gubernationis. Sed hic Heroicus gradus, non est uulgaris. Cæteri igitur foecundi in sua mediocritate fideliter seruiant. Hi etsi distra-

E v huntur

hantur curis domesticis, uxoris, libero-
rum miseris, tamen retinent caput, ut
delicet bonam conscientiam, ut inuo-
care Deum possint. Hæc res ueram
tranquillitatem parit. Econtra im-
mundi cœlibes hoc præcipuū bonum
amittunt, & prorsus à Deo auelluntur,
& qui æstus animi, quæ perturbatiōes,
quæ mala sequantur notum est.

Nos coniugium sacerdotum eo
defendimus, ut seruire Deo bona con-
scientia sacerdotes possint. Vos cur
propugnatis cœlibatum? A deo ne om-
nes homines ubiq; terrarum stipites
esse iudicatis, ut causam nemo uideat,
nemo suspicari possit? Num propug-
natis, ut uita sit purior? at constat qua-
les sint mores maximæ multitudinis.
Num ut in uita puritate inuocatio mi-
nus sit impedita? Imo ut quisq; maxi-
me intelligit inuocationem, ita maxi-
me optat hoc onus sublatū esse. Num
ut expeditiores sint ad Ecclesias docen-
das? quotus quisq; docet. Vna est uera
& sola causa tuendi cœlibatus, ut opes
cōmodius administrantur, & splendor
ordinis

ordinis retineatur. Propter hanc causam,
quæ in Ecclesia minime ualere
debebat, à potentibus lex impia de-
fenditur, & multi pij sacerdotes inter-
fecti sunt. Hæc delecti non ignorant.
Et tamen simulant se pietatis causa cœ-
libatum, & uota tueri, eaq; sciunt non
ueris causis, sed iniusta ui & crudelita-
te defendi.

Etsi autem scio nobis obijci apolo-
gum, quem recitat in tertio politicorū
Aristoteles, uidelicet ut quondam le-
pores cum leonibus iura daturi essent,
dilatati sunt, ita nos frustra conciona-
ri potentibus, & nobis tantum accerse-
re ærumnas. Non potestis, inquit,
cogere summos ordines, ut usitata
legem aboleāt. Quid frustra in repub.
uociferamini? Talia sunt Ecclesiastica
certamina. Et quanquam humanis iu-
dicijs non dirimuntur, tamen non sunt
inutilia. Ridebant pontifices & prin-
cipes Ieremiam, Baptistam, Christum,
Apostolos, donec Ierosolyma euersa,
certamen diuinitus diremptum est.
Interim

Interim tamen doctores illi aliquam
Ecclesiam collegerant. Ita & noster
labor non plane irritus est. Si non fle-
ctere possumus potentes, at aliqui pri-
uati mouentur, ut fugiant, ut execren-
tur idola & libidines. Et ueritas in Ec-
clesia dicenda est, uel si fractus illaba-
tur orbis. Quo tempore in Sodomis &
uicinis oppidis summa fuit morū cor-
ruptio & turpitude, duo uiri erant in
uicinia Sem & Abraham, qui suis con-
suetudinibus hæc tanta flagitia acerrime
taxabant. Sem pene in cōspectu urbis
Sodomorum in Salem domicilium ha-
bebat, quæ non plus octo miliaribus
distabat à Sodomis. Et uiderat hic uir
mundum ante diluuium, audierat pri-
mordia generis humani à certissimis
testibus. Gubernauerat ecclesiam post
diluuium annos iam quadringentos,
antecellebat sapientia, uirtute, ætate
omnibus hominibus eius temporis.
Abraham uero etiam recens, ingenti
beneficio urbem adfecerat, cum pro-
fligato exercitu hostium captos ciues
recepit, & in patriam saluos reduxit.
Horum

Horum tantorum uirorum autoritate
& uoce nihil mouebantur urbium illa-
rum principes. Quid miremur igitur
nostras conciumculas rideri, qui sumus
uere, ut inquit Christus, pusillus grex.
Sed tamē hunc pusillum gregem curæ
esse Deo scio. Nec erunt irriti nostri
labores. Multæ sunt bonæ mentes,
quæ illucescente Euangelio, ueram
Dei inuocationem discunt, & idola ac
commenticios cultus fugiunt. Piget
immorari huic disputationi, & si de di-
gnitate coniugij honesta est oratio, sed
eo infrauius est hoc certamen, quia
nec aduersarij, nec delecti in hac causa
dicunt ingenue quod sentiunt. Præter-
xtu pietatis defendunt cœlibatum &
uota, cum sciant tantum retineri hanc
formam politiæ suæ, quia ad opum ad-
ministracionem, & ad splendorem re-
tinendum est commodior. Finio igitur
disputationem, sed ita, ut eos, qui
Deum uere colere, & suæ saluti consu-
lere cupiunt, adhorter, ut illa uincula
impia fugiant. De uotis etiam eo non
est opus longa oratione. In monaste-
rijs

rijs fiunt tetra prophanationes Missarum, inuocationes mortuorum, & exercentur multae superstitiones aliae. Hae satis euidentis causae sunt, quae uota soluunt, & liberant addictos huic generi uitae. Vera est enim regula, uotum non debere esse uinculum iniquitatis, Certe non debet alligare hominem ad idolorum cultus. Non est igitur ad hanc aetatem accommodanda lex Iouiani, quae loquitur de uirginum collegijs, in quibus nondum erant uiciosi cultus, qui nunc defenduntur. Et raptus ea lex prohibuit, quos Iulianus, odio nominis Christiani, concesserat. Sed uos quidquid usquam in omnibus chartis odiosissimum inuenistis, quod quoquo modo detorqueri aduersus nostros potest, in hoc scriptum uestrum congestistis, ut doctrinam ueram & pijs utilem qualibuscumque praestigijs obrueritis, & uestram tyrannidem confirmaretis. Multis iam seculis captiui & captiuae in monasterijs, iustas & necessarias causas habent deserendi monasticen cōtaminatam multis uiciosis cultibus.

cultibus. Est enim mandatum immutabile: Fugite idola.

Dicam ex animo quod res est: Magno cum dolore legi illam uerborum immanitatem, cum delecti conubia piorum hominum nominant in coesta, sacrilega, scelerata. Atrox oratio est, & pertinet crimen ad omnes nostros Principes & Respub. Nam si esset incesta consuetudo, non minus legibus punienda esset, quam parricidium. Graue enim scelus est incesta coniunctio, & saepe cladibus publicis punitur, ut Thebanæ & Aegyptiæ historiae indicant. Utinam delecti suos mores contemplarentur, qui non leuiter polluunt Ecclesiam, & uerecundius de pijs hominibus, & de nostris ciuitatibus loquerentur.

Prætulit Bucerus periculoso coelibatui pijs coniugium, duxit uirginem honestam Elisabetham, quae cum ex Euangelio didicisset, fugienda esse idola, uolens reliquit monasticas superstitiones, fugit statuarum adorationes, mortuorum inuocationes, prophana-

tionem

tionem coenae domini. Nupta igitur uiro ita uiuit, ut eius pietas, pudicitia, & in omni actione modestia, multis bono exemplo essent, fuit puerpera tredecies, sustinuit ærumnas non leues matri obeundas, rexit œconomiam magna sedulitate, docuit filias, fuit officiosa erga mulieres pauperes. Poterat cum familia fugere grassantem Argentinæ pestilentiam, nisi maluisset societas esse periculis mariti, qui ex statione sua discedere noluit. Cum igitur contagia non posset uitare, oppressa morbo, decessit, sed antea se Deo fiducia mediatoris pie commendauerat.

Nihil ne sceleris esse iudicatis quod talibus matronis mortuis & uiuentibus, quæ sunt Christi membra, maledicatis. Exaggerate Canonum autoritatem quantum uultis, tamen hoc uniuersa Ecclesia fatebitur idola fugienda esse. Non sunt igitur incoesta, non sacrilega, non scelerata connubia, quæ deserta impia monasteriorum seruitute contrahuntur iuxta Euangelium, ut Deus pura conscientia inuocari possit.

Sed

Sed restat maius crimen, ut delecti uociferantur & prorsus inexpiabile. Mortua priore coniuge, duxit secundam D. Bucerus. Hic tenent irretitum laqueis canonum, ut putant, inextricabilibus, hic torrendum esse censent in tauro Phalaridis. Nihil agam iustitiae. Nusquam uetusti canones damnant tale coniugium, tantum à ministerio remouent eum, qui ducit secundam. In uestro scripto damnatur pia societas coniugum. Cum autem nostro tempore pauci sint idonei doctores, anteferatur illa canonis Ecclesiae utilitas. Quanquam cur nobis toties canonum sententias obijcitis, cum magna ex parte mores uestri publici & priuati dissentiant ab uniuersa politia canonum, qui cum iure diuino congruunt? Sed usitatum est hoc quoque hypocritis, collare culicem, & deuorare camelum.

At Paulus iubet Episcopum unius uxoris uirum esse. Recte. Et qui mortua priore coniuge, ducit secundam, unius uxoris uir est. Et hanc est Pauli sententiam uetusti canones indicant.

F

Esti

Etsi autem posterior aetas durius inter-
pretata est Paulum, tamen certum est
noluisse eum pijs doctoribus ulla peri-
culosa uincula iniicere. Norat Ecclesiae
opus esse pijs & doctis ministris, norat
cauendum esse, ne inuocatio Dei im-
pediretur. Ideo nominatim concedit
eligi castos maritos.

Vos cum ad gubernacula ecclesiae
sedeatis, maxime iuuare & ornare
Euangelij ministerium oportebat, &
ut gloriam Dei illustraretis, & ut saluti
populi cōsuleretis. Hoc scitis esse sum-
mi ordinis proprium munus. Sed quid
agitis? maxima pars eorum, quos in
summum fastigium euexit Ecclesia,
non docet. Desunt multis locis pasto-
res, stipendijs interim fruuntur ociosi
Canonici. Deinde uagantur monachi
ut doceant, qui uel ignorant Euange-
lium, uel adfectibus aliorum seruietes
confirmant idola. Religio interim in
quibus rebus populo sita sit, ipsa tem-
pla uestra ostendunt, in quibus quan-
ta uarietas est statuarū? Alibi colitur
Anna, alibi Maria, alibi stat Seruatius,
cui

cui pendet de collo marsupium, quia
putatur seruare ijs pecuniam à quibus
colitur, deniq; talia simulachra innu-
mera in his praesertim locis uidetis. Ad
hac cōcurrit uulgus magna frequētia,
has ceremonias putat esse religionem.
De uera inuocatione, de Christo, de ue-
ris officijs pietatis, de disciplina Ecclesie
silentiū est. Interim uos, cum Euangelij
ministerium negligatis ipsi, depellere
etiam idoneos, & salutares doctores ab
hoc necessario munere conamini praes-
textu obsoleti canonis, de eo qui mor-
tua priore cōiuge, pie & honeste ducit
aliā, & hanc habet unicā.

Sed quid disputo, cum nihil prorsus
agatis candidē. Non de illo ueteri ca-
none dimicatis, sed tantū questus est à
uobis praetextus, ut quoquo modo ar-
ceretis D. Bucerum. Lucem Euangelij
formidatis, & stabiliri uultis populi er-
rores & superstitiones, ne ociū uestrū
interturbetur, ut nihil aliud dicam.

Dixi initio me de paucis locis bre-
uiter responsurum esse, uel commune
faciendi lectoris causa, uel ut constet

nos huic Coloniensi scripto reclama-
re. Neq; enim dissimulanda erant tam
atrocia conuicia. Prætereo igitur uo-
lens magnos acervos calumniarum,
quas liber delectorum undiq; conuer-
rit, & ab honestis lectoribus peto, ne de
Ecclesijs nostris, aut docentium uolum-
tatibus & genere doctrinæ ex maledi-
co scripto Coloniensi iudicium faciant
sed ex ueris testimonijs. Ego quid pro-
fitear in singulis articulis doctrinæ ec-
clesiasticæ in meis scriptis ingenuè pla-
ne, & sine sophisticis labyrinthis expo-
si. Et hæc esse comunem doctrinam
Ecclesiarum nostrarum scio, nec dubi-
to hoc totum doctrinæ genus, quod so-
nat in Ecclesijs nostris, uere esse con-
sensum Ecclesiæ catholicæ Dei, inde
usq; ab initio. Terra mihi potius de-
hisceat & obruar tota Aetna, quàm ue-
lim defendere ulla corruptelas doctri-
næ cœlestis, aut pugnare cum Ecclesia
Dei, in qua cupio, ut in aeterna schola
post hanc uitam etiã uidere filium
Dei, Patres, Prophetas, Apostolos &
eorum frui doctrina & familiaritate.
Hanc

Hanc futuram scholam mente intue-
or, quoties in nostras scholas ingredis-
or. Nec uelim unquam meum iudiciũ
ab illis optimis doctoribus seiungere.
Cumq; audierim Bonnæ Bucerum,
sum ei testis, pure ipsum & fideliter
summam doctrinæ Christianæ inte-
gram tradidisse.

Ad id sanctissimum munus cum
grauissimo consilio Archiepiscopi &
principis accersitus sit, cumq; præstet
in docendo fidem, diligentiam & mo-
derationem, dignam pio doctore, in-
iuste uocationem ipsius reprehenditis.
Negari non potest diu à uobis negle-
ctas esse Ecclesias. Quem igitur magis
decurrit cogitare de salute populi, quàm
Episcopum & Principem, qui multorũ
sententias & in his uestras quoq; audire,
& conferre uoluit, nec aliud in hac
ætate & grauitate quærit aut spectat,
nisi ut populi saluti consulat. Vos ipsi
scitis nõ uti eum amicitia, nisi optimo-
rum uirorum ex summo ordine, quo-
rum prudentiam, & uirtutem scitis
probatam esse grauissimis Regibus &
F ij Principis

Principibus, nec quicquā sine his amicis constituit. Quare de eius consilio & uoluntate modestius uos pronuntiare & scribere decuit.

Addiderunt delecti tragicum epilogum suæ criminationi, oratorū more, in quo primum de opibus Ecclesiarum declamant, postea nostras ecclesias miscent Anabaptistis, & omnes omnium furores in nos transferunt, ac oblitī sua scelera, propter nos plecti Germaniam publicis calamitatibus aiunt. Pauca primum de opibus Ecclesiarum respondeo: Scio sapientes angide concordia, autoritate gubernatorū, politico statu Ecclesiarum. Hæc, si uere uellent iudicare, tueri non difficulter possent, si hoc ipsum doctrinæ genus, quod profiteamur, admitterent. Nam Euangelium concionatur de agnitione & inuocatione Dei, & munit politicum ordinem. Sed dum idola & iniusta uincula tueri potentes conantur, dissidia sequi necesse est. Et ex dissidijs in utraq; parte multum mali existere solet. Hoc quanquam ita accidit, ta-

men

men ueritatis professionem omittere non possumus.

Nec motæ sunt hæc controuersia propter opes, ut leges Agrariae. De luce doctrinæ differimus, hanc retinere cupimus. De opibus & imperijs illi deliberent, ad quos ea res pertinet, & si profecto acquisitum est nobis ignosci, cum dolemus fame contabescere pios pastores, & pauperes scholasticos, & his mediocrem uictum præberi, & iuuari studia petimus. Sint si ita uolunt, magna collegia nobilium, quorū uirtus & autoritas possit esse usui reipub. Quis hæc reprehendit? Satis superest ecclesiasticarū opum alibi, unde iuuari pastores, & scholastici, & pueri studia possunt. Nec uos delecti ignoratis canones præcipere harum rerum curam gubernatorib; ecclesiarū & imperiorū.

Quod uero dicitis inhiare reformationem opib; cleri, hūc esse Christū, cui seruiamus, modestissime respōdeo, & Bucero, & Principibus, & multis alijs atrocē iniuriā fieri, nec regerā crimen. Nam utri magis de opib; dimicent, minime est obscurum. F iij

Nequaquam consentaneum est tot sapientes Principes, tot Senatores conditissimos ulla mercede quantumuis magna, uoluisse sibi tantum periculorum & curarum accersere, quantum adfert Euangelij professio. Quid nos scholastici, qui propter amorem literarum, cum tranquillitate opibus & dignitatibus antetulerimus, tamen hanc etiam amittimus in hac militia confessionis, cum in studijs iucundioribus uersari mallems. Sed Deus tandem iudicabit quid utriusque spectarint, quem oro ut petulantiae uestrae frenum injiciat.

Exulat Elias apud uiduam Sareptanam, cum impij sacrificuli in regno florerent dignitate & opibus. Ita plerumque uera Ecclesia habet hospitia tenuia, & magne opes sunt penes Euangelij hostes. Quare scimus nos inopia nostram boni consulere debere, eamque arte ferre. Sed alij erunt, qui uos ad rationes retrahent. Neque tamen deerunt nobis hospitia, nam & librum coelestis doctrinae, & studia alicubi conseruari oportet.

Postremo

Postremo non contenti hac seueritate maledictorum de incestis, & de sacrilegis, lapides tollunt, & nos iam prorsus obruere & extinguere conantur. Miscent nos Anabaptistis, clamitant propter nos, tanquam propter ἀλλόσογας toti rerum naturae Deum irasci, hinc morbos & Turcica bella oriri. Audis lector usitata praeconia, quibus pij doctores ab atheis hominibus ornantur. Ita & Paulus inquit, Apostolos duci καθάρματα mundi. Nec aliud onus pij grauius sustinent, quam haec iniustissima iudicia hypocritarum. Quare pios toties consolatur uox diuina, ne frangantur animis propter tam uirulenta conuicia. Toties autem testati sumus, quid sentiamus, & non solum scripta nostra, sed etiam respublicae, ostendunt nos abhorreere ab Anabaptisticis furoribus, qui magna ex parte in ijs locis orti sunt, ubi populo uocem Euangelij non licuit audire.

Constat nostrorum literis clarissime discerni a politicis rebus, seu ab imperijs, regnum Christi, constat magis

F v°

illustra

Illustratam esse dignitatem uitæ ciuilibis nostris scriptis quàm ueterum. Quare & Ecclesiæ nostræ suo iudicio uitant Anabaptistarum deliria, & ad ea resprimenda alibi nostras lucubrationes prodesse arbitramur. Quæ enim exstant uestra scripta contra Anabaptistas, aut quomodo eorum hypocrisisin refutare monachi possunt, qui similes ineptias profitentur, pietatem esse abdicare proprium, sordido uestitu quasi perpetuum luctum simulare, abire & contemnere uocem Euangelij de iusticia fidei, & econtra attollere iusticiam operum, induere persuasionem, quæ legi Dei homo satisfacere possit, non discernere perfectam obedientiam quam lex requirit, à disciplina quam & debent & possunt præstare homines. Hæc hypocriticæ uitæ semina communia sunt monachis & Anabaptistis.

Nec uero fieri potest quin magnæ opinionum & morum confusiones, & tumultus in discordijs ciuilibus oriuntur. Sed culpa penes eos est, quorum iniusta

iniusta pertinacia causam præbet discordiæ. Si cederet ueritati error, & communibus studijs pij gubernatores disciplinam regerent, aut non orientur prauæ opinioniones, aut natae ueris & legitimis iudicijs cito obruerentur. Sed quia hypocritæ odio ueritatis accendunt discordias magnæ perturbationes sequuntur. Nam in discordia ciuili, ut inquit Thucydides, nihil mali non inest. Accedunt simul aliæ fatales pœnæ mundi. Et in hac extrema mundi senectæ, maiores confusiones imperiorum impendent, undique igitur premittitur & concutitur uera Ecclesia, id est, pij sonantes Euangelij uocem dispersi passim in imperijs mundi, quos quidem oportet intelligere & quæ sit Ecclesia Dei, & quæ ærumnæ ferendæ, & quæ certamina suscipienda sint, & ad has tantas res animi præparare, ut puram Euangelij doctrinam defendant, & alijs tradant. Exitus uero commendent duci Christo gubernanti suum coetum, qui etiam illa immania conuicia tandem refutabit.

Et si

Et si autem fortassis aliquibus hæc
mea responsio uidebitur asperior, ta-
men si legent Coloniense scriptum,
magis me lentum & infantem iudica-
bunt, quam uehementem, q̄ seuiciam
styli delectorum non depello acritus.
Noui mei ingenij imbecillitatem, & ut
in tranquillo flumine nauigare, ita in
placidis disputationib. uersari malim,
quam contendere maledicendo. Ha-
bent delecti suum theatrum, à quo sci-
unt sibi plausum dari. Rex quo iudices
deligunt. Prouoco & ego ad Ecclesiæ
iudicia, hoc est, ad omnes pios & eru-
ditos, qui has cōtrouersias dijudicant,
ubicunq; sunt. Nam aliter hæc certa-
mina dirimuntur, quam causæ forenses.
Recte constituit Basilus iudicium:
ἀλλ' εἰσὶν ἐπίσκοποι, κληρῶσιν εἰς ἀκροάσιν.
ὅστι κληρῶς κατὰ πάσαν τοῦ θεῶ παροικίαν,
συναχθέντων οἱ δοκιμώτατοι, λέγει τὸ με-
τὰ παρηκίας ὁ βουλομενος, ἵνα ἐλεγχῶς ἢ τὸ
γινόμενον καὶ μηλοιδορίᾳ. Utinam rite
constitueretur iudicium Ecclesiasticū.
Sed uos astute cauetis uobis, præscribi-
tis qualem iudicem uelitis, uidelicet
uobis

uobis addictum. Multi sunt Apologi,
qui monent iniqua iudicia uitanda esse,
sed recitabo recens exemplum, longe
uenustissimum omnium, quæ uel legi,
uel audiui: Duo sunt in Gallia uiri ex-
cellēter docti Castellanus & Bigotius.
Et quia Castellani disputationes cre-
bro à Rege audiuntur, hortatur quis-
piam ex proceribus, ut Bigotius etiam
audiatur. Interrogat Rex in quo do-
ctrinæ genere uersetur. Cumq; alij ho-
norifico testimonio eum ornarent, tan-
dem Castellanus, quia augeri eius opi-
nionem nolebat, interpellans, quid in-
quit, tantopere prædicatis. Est Aristote-
telicus. Rex interrogat, qualis sit ea
descriptio. Dicam, inquit Castellanus.
Aristoteles ἀριστοκρατίαν adfirmat me-
liorem statum esse, quam regnū. Hac
uoce apud Regem sciebat se omnem
autoritatem & Aristoteli & eius stu-
diosis detraxisse. Cumq; rex interro-
garet, an hoc scripserit Aristoteles, &
cæteri id adfirmarent, audissetq; defen-
dere Bigotium Aristotelicas sentētiās,
delirare Aristotelē inquit, & negauit se
defensorem

defensorem harum ineptiarum auditu-
rum esse. Facile uicit Castellanus tali
iudice. Hæc narratio imago est iudicij
quod delecti in libro suo constituunt.
Nec nos defugimus cognitionem, sed
maxime optamus iudicio uere Eccle-
siastico latius propagari ueritatem &
iusto modo tranquillitatem Ecclesie
muniri. Sed quantulum hæc cura tan-
gat potentes, res ipsa ostendit. Interea
tamen pii iudicant, & regulam norunt,
uidelicet doctrinam Propheticam &
Apostolicam, & primæ Ecclesie testi-
monia, ut supra dixi. Sciunt Ecclesiam
extructam esse supra fundamentum
Prophetarum & Apostolorum. Sciunt
horum uocem audiendam esse, & ante-
ferendam prauæ consuetudini, quam-
uis longi temporis. Si uere iudicamus
Deum se patefecisse in hoc uno genere
doctrinæ, quod tradidit Prophetis, &
Apostolis, hanc normam sequi necesse
est. Sed multi prophani nunc cogitant,
Ecclesiam politiam esse similem Atti-
cæ aut Laconicæ, cõstitutam humanis
consilijs, ac propterea semper præsentẽ
formam

formam tranquillitatis causa tuendam
esse. Et multi sic sentientes, harum cõ-
trouersiarum iudicijs præficiuntur, qui
hac fascino persuasione, manifestissi-
mam ueritatem opprimere conantur.
Non enim litigamus de rebus obscuris
aut perplexis. Nec reuerenter sentiunt
de cœlesti doctrina, qui existimant per-
plexam & ambiguam esse. Agnosci se
& inuocari Deus uoluit, & filium iussit
audiri, qui ex sinu aterni patris Euan-
gelium proferens, certam doctrinam
Ecclesie suæ tradidit. Hunc doctorem
qui audiunt, facile has controuersias
dijudicare possunt. Ad hos prouoco,
& oro Deum aeternum patrem domi-
ni nostri Iesu Christi, ut propter fili-
um nos regat spiritu sancto, &
Ecclesiam suam augeat
& seruet.

Ἰὸς α τῶ θεῶ.

VVITTEMBERGAE PER
Iosephum Klug. Anno
M. D. XLIII.